



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XXVIII. Concluditur vera concordia libertatis auxiliij cum efficaci auxilio
eiusque neceßitate in gratiae operibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

rare ad illam, sed falsum est prius natura incipere talem conuersionem; quam per auxilium gratiæ ad illam inchoandam physicè inueter, non prius nec posterius, sed simultaneo concursu. Et apertè repugnantia inuoluitur, cum dicitur, quia homo uoluit consentire prius natura, ideo Deum uelle inuare illum simultaneo concursu, nam simultaneus concursus non datur ad id, quod est prius natura, cum à nobis dicatur simultaneus non tantum tempore, sed etiam natura. Nec aliud tandem colligere potuit, ex omnibus locis, & uerbis meis, quæ ibi citat, nisi vel Deum in consensu simultaneo, non prius natura, prioritate scilicet, causalitatis operari, quod ego libentissime admitto, vel Deum quoad hunc concursum expectare influxum liberi arbitrij, quod etiam verum, & certum iudico. Sed de hoc posteriori puncto in loco citato dicam; de priori uero iam satis est dictum, & demonstratum, quàm longè sint ab illo principio cætera quæ ex illo male inferunt. Quorum vnum est, quod ultimo loco addit, de sufficientia, & efficacia auxilij, quod prior sola sit ex Deo, secunda ex nobis. Hæc enim posterior pars falsa est, ut dicam capite sequenti, nec sequitur ex dictis, cum arbitrium nihil faciat in ordine supernaturali sine auxilio efficaci, nec det illi efficaciam, sed ab illo potius inueter. Solum ergo dici potest auxilium efficax operari sine nobis, quod uerissimum est, longe tamen diuersum.

Ad ea tandem quæ Ledesma induxit, fateamur, nos dicere, Deum non prius natura influere per concursum generalem, nec per actuale influxum gratiæ adiuantis. Cauenda uero sunt uerba, quibus sepe ille auctor confusè utitur concursum confundendo cum prædeterminatione, cum præmotione, ut possit inde concipere lector nos omnem gratiæ præmotionem negare. Distinctè ergo loquendo asserimus, Dei gratiam præcedere præmotionem liberi arbitrij, excitando illud, alliciendo, ac præparando, non prædeterminando, & quoad hæc præmotionem Dei non est simul, sed præcedit tempore, quando est tantum sufficiens, vel saltem natura, quando est efficax, modo à nobis declarato. Post hanc uero præmotionem, in illo puncto, quo arbitrium determinatur, nullam aliam prædeterminationem, vel præmotionem causalem admittimus, sed concursum, & influxum simultaneum, ut satis iam declaratum est. Neque Molina aliquid amplius dicit in illo eodem loco, quem Ledesma citat, ut manifestè ostensum est.

Ultimò ergo addo tertium dictum quod proposui, uidelicet, totam hanc obiectionem locum habere in sententia illorum Doctorum, & ab eis eodem modo soluendam esse, si uelint consequenter loqui, solumque inter nos relinqui cōtrouersiam de auxilio præuio prædeterminante, cum qua omnes istæ illationes & propositiones nullam habent connexionem. Declaratur assertio. Nam isti auctores admittunt nobiscum esse necessariam auxilium simultaneum imbibitum in actione liberi arbitrij.

Neque enim negare possunt, ut laudent, primam causam, per se, & immediatè influere in actionem creaturæ, neque etiam possunt negare, quin actio liberi arbitrij, si supernaturalis sit, immediatè, ac per se sit ab aliquo principio supernaturali, & grauiter physicè in illam influente. Ergo loquendo præcisè de illo influxu simultaneo, obijci eodem modo potest contra illos Auctores, quod prius natura influat arbitrium, quam gratia, quia hoc influit prius secundum illam influxum; ergo posterius. Item sequitur, Deum concurrere, quia uoluntas concurrat. Hæc autem non debent, nec possunt admitti in illa sententia, etiam respectu auxilij simultanei, quia nihil intelligi potest fieri à libero arbitrio sine illo simultaneo influxu; ergo necessesse est,

ut etiam fateantur ex negatione prioris, non inferri affirmationem posterioris, quia similtas excludit prioritatem, & posterioritatem respectu eiusdem; & secundum eundem ordinem naturæ, & causalitatis. Item fateri debent ex concomitantia necessaria non sequi causalitatem cum necessaria concomitantia, quia non agunt solitariè, ut sic dicam sed concurrente simul. Ergo in hoc versatur eadem ratio in utraque opinione. Solum ergo superest quaestio de necessitate præuij concursus, ante simultaneum, quæ cōtrouersia per hanc obiectionem non attingitur, quia siue detur talis præmotio, siue non detur, semper est verum liberum arbitrium in operibus gratiæ nihil posse sine aliquo præmotione, & nullum opus posse agere, aut inchoare, sine actuali influxu, & concursu Dei proportionato operi uoluntatis humanæ, & eiusdem ordinis cum illo. Nihil ergo sententiæ nostræ obstant propositæ obiectiones, de aliis uero ut lectoris falsidum seuemus, in capitibus sequentibus iuxta occurrentes occasiones dicemus.

CAPVT XXVIII.

Concluditur uera concordia libertatis auxilij cum efficaci auxilio eiusque necessitate in gratia operibus.

HÆ concordia in re ipsa iam explicata est, quia uerò est præcipuus scopus, & fructus in hac disputatione intentus, ideo breuiter, & clare proponenda est, & nonnullæ obiectiones dissoluenda, ut per earum solutionem ueritas illustrari fiat. Duæ uero sunt, ut sic dicam, partes libertatis, quæ integræ, & illasq; conseruari debent secundum indem, non obstante necessitate auxiliorum gratiæ etiam efficientiam, quæ secundum legem ordinariam Dei hominibus dantur. Prior pars libertatis est quoad specificationem, seu contrarietatis, quæ requirit potestatem ueram, & moralem, ad præstandum supernaturalem consensum uocationi, etiam in his hominibus, qui uocationi sufficienti non consentiunt. Altera pars libertatis est quoad exercitium, quæ postulat potestatem non consentiendi uocationi, etiam in his hominibus qui uocationi consentiunt, considerata prius natura, quam consensus fiat. Quæ omnia satis patent ex dictis supra de libertate.

Dicimus ergo primò, necessitatem gratiæ efficaci existentis in uocatione congrua optimè conuenire, seu in concordiam redigi cum libertate quoad specificationem. Ratio est, quia homo à Deo uocatus habet potestatem proximè sufficientem ad consentiendum si uelit, ita ut sine alio præueniente auxilio, vel prædeterminatione extrinsecus proueniente possit cum effectu uelle, & facere id, ad quod uocatus est; ergo talis homo licet cum effectu non consentiat, liber est ad consentiendum. Antecedens probatum hætenus est contra alias sententias. Consequentia uero probatur, quia in illo homine ordine naturæ præcedit uere potestas consentiendi per principia gratiæ tam moralia, quam physica, & potestas dissentiendi, per irritam libertatem, ut effectus ipse probat in his, qui non consentiunt; ergo in tali homine prius natura, quam dissentiat, est uera libertas ad consentiendum, & consequenter, quoad specificationem actus, seu libertas contrarietatis, hæc enim idem sunt.

Secundò ad maiorem declarationem eadem ra-

3.
Eadem ratio aliter formatur.

tio aliter formatur, quia homini sufficienter vocato, & nihil consentienti nihil deest ex parte gratiae necessarium ad consensum, nisi auxilium gratiae simultaneum, seu concomitans, sed hic defectus non est contrarius libertati; ergo. Maior supponitur ex dictis. Minor probatur, quia licet ille concursus ad extra non detur, esse potest oblati, & paratus ex parte Dei, & de facto ita offertur, quia secundum scripturas, & promissiones, ac comminationes Dei, per Deum non stat, quominus homo consentiat, & velit postquam vocatus est; ergo id satis est ad libertatem. Probatur consequentia, quia haec libertas consistit in proxima potestate sufficiente ad utrumque, & consequenter ex parte Dei habente paratum concursum: hoc enim intus imbibitur, vel requiritur in proxima, & integra potestate, ut supra probatum est: actualis autem concursus simultaneus non requiritur ad potestatem, sed ad usum eius. Unde in actibus etiam naturalibus idem modus libertatis ad utrumque inuenitur, licet in usu, & in effectu homo unum tantum concursum ad unum actum, & non ad alium in se recipiat, tamen quia hoc ipsum per illum stat, & pendet ab usu libertatis eius, ideo cum carentia talis concursus stat vera libertas ad eundem actum.

4.
Declaratur.

Tertio declaratur, quia quod vocatio sit inefficax seu incongrua non oritur ex Deo, sed ex homine, ut in superioribus probatum est; ergo talis vocatio, quae in re est incongrua confert homini potestatem, quia liber simpliciter constituitur ad non reddendum vocationem incongruam, ergo incongruitas illa stat cum perfecta libertate ad consentiendum, alias non posset homini imputari, nec esse libera talis inefficacia, seu incongruitas. Et hoc confirmant illae admonitiones Petri, & Pauli. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis* 2. Pet. 1. & *Adiuuantes exhortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* 2. Cor. 6. Essent enim istae exhortationes vanae, nisi bonus usus gratiae, vel vocationis esset in proxima potestate recipientis. De quibus & aliis locis in capite sequente.

5.
Proponitur difficultas

Superefficitur difficultas, quia vocatio, seu auxilium efficax, est simpliciter necessarium, ut homo consentiat, sed haec vocatio non datur homini qui non consentit; ergo deest illi aliquid necessarium ad consensum, ergo non est liber ad consentiendum. Probatur consequentia ex nostris principiis. Primo, quia vocatio congrua est necessaria tanquam unum ex praerequisitis ad operandum, ostendimus enim hoc auxilium efficax esse praecedens, & ordine naturae antecedens operationem. Secundo, talis vocatio etiam si dicatur aliqua ex parte inuolueri auxilium simultaneum, nihilominus non solum non datur, verum etiam nec offertur a Deo, neque est in potestate hominis habere illam, quia nihil potest homo facere, ut illam habeat, ut supra de praedeterminatione physica dicebamus: Rationes enim ibi factae, & quae hic procedunt, quia nec immediate potest homo in se facere talem vocationem, nec media dispositione libera ad illam se preparare, cum omnis talis dispositio debeat ab aliqua congrua vocatione proficisci. Et confirmatur. Nam illud est in nostra potestate, quod est in nostra voluntate, iuxta illud August. 1. *Retrahit. c. 22. Id est in nostra potestate quod cum volumus facimus*, sed habere talem vocationem non est situm in nostra voluntate, sed est beneficium omnino gratuitum, nam ratione huius vocationis potissimum dictum est ab Apostolo. *Non est volentis neque currentis, sed Dei misericordiae*, iuxta sententiam August. in *Enchirid. c. 32. dicentis. Quomodo non volentis, &c. nisi quia & ipsa voluntas ut scriptum est a Domino preparatur*. Preparatur autem per sanctam & congruam cogitationem, seu vocationem, ut ipse lib. de *Dono persever. cap. 8. declarat*, & in

q. 2. ad Simplician. *Nisi vocando*, inquit, praedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, ut ex hoc integre iustificari & accipiat facultatem operandi. Et infra expressè dicit, nobis tribui non posse quod vocatur, praesertim illa vocatione quae congrua dicitur, de qua inquit. *Igitur non volentis, neque currentis, sed misericordiae est Dei qui hoc modo vocat, quo aptum erat eis, qui sequuti sunt vocationem*. Talis ergo vocatio cui non datur, neque etiam offertur; ergo non est in potestate eius, ergo neque in libertate, ergo necessarius talis vocationis est in eius potestate, aut libertate, cum ad illum sit necessaria talis vocatio, sicut nos contra necessitatem physicam praedeterminationis argumentati sumus.

Ad hanc difficultatem expediendam, & differentiationem assignandam inter vocationem congruam, & physicam praedeterminationem, duo attente distinguenda sunt. Nam aliud est, vocationem, quae homini de facto datur esse congruam, vel incongruam, aliud verò est quod Deus praecognoscendo unam vocationem futuram congruam, aliam verò talem futuram elegerit unam, vel alteram tribuere. Nam manifestè constat posse hoc secundum pendere ex sola Dei voluntate, quamvis primum etiam ex voluntate humana pendeat. Dicendum est ergo utrumque eorum esse. Nam posita in homine sufficiente vocatione, & praescindendo ab omni praecognitione Dei circa futura est in potestate hominis facere, ut illa vocatio Dei congrua sit, quia illi simul offertur auxilium concomitans, quo possit operari, si velit, & si de facto operetur, iam vocatio erit congrua, & ut talis, est a Deo praecognita & libera electione collata. Neque obstat quod quidam obiciunt, quia nemo potest se disponere ad auxilium efficax, saltem primum, neque illud impetrare, aut emereri, nam ad haec omnia supponi debet, ergo nec potest habere illud in sua potestate, etiam quoad hoc, ut efficacitas auxilij pendeat ex libertate hominis. Respondemus. h. negando consequentiam illa potestas quae est in homine vocato ut non reddat vocationem incongruam, non est remota, ut sic dicam, scilicet, per potestatem se disponendi ad aliquod auxilium, sed est proximè per potestatem cooperandi auxilio, seu vocationi, cum auxilio simultaneo sibi iam oblato. Atque ob hanc rationem necessitas vocationis congruae non repugnat cum absoluta libertate, & potestate, ad bene operandum, etiam tum, quando contingit, vocationem non esse congruam, quia causa huius defectus, seu incongruitatis actualis, in libero arbitrio fuit.

Difficultas autem posita non procedit contra hanc partem, sed tantum probat aliud secundum membrum, quod proposuimus, scilicet non obstat hac dependentia, congruitatis vel incongruitatis vocationis a nostro libero arbitrio, nihilominus manere in aeterna Dei providentia, & sola libera electione quod decreuerit dare huic homini in tempore vocationem, quam praedidit ei futuram congruam, vel aliam non talem futuram, quia cum in praesentia sua omnia praecuperet, potest velle quod sibi placuerit, & varias vocationes pro suo beneplacito distribuere, seu causas secundas ita preparare, ut haec, vel illa vocatio ad hunc, vel illum hominem preueniat. Et hoc tantum est quod August. in locis citatis docet, & probant rationes factaedemque confirmat argumentum proximè factum, quod homo non potest se disponere ad primam vocationem, etiam sufficientem, ergo multo minus ad congruam. Haec ergo distributio, sicut & praedestinatio voluntate Dei fit, & non habet causam ex parte hominis, ut infra latius dicam.

Vnde ut difficultas clarius solvatur addendum est vocationem congruam ita esse necessariam ut consensus cum effectu detur, ut illa necessitas non

fit ex parte principij, quatenus confert veram potestatem ad agendum, sed solum ex parte effectus, ut certo, & infallibiliter futurus sit. Quæ necessitas maxime consideratur in ordine ad diuinam præscientiam, & prædestinationem, vt voluntas prædefinitiuâ Dei possit infallibiliter impleri. Et ideo non obstante necessitate vocationis congruæ, qui illam non habet, absolute & simpliciter habet potestatem operandi, quia ipse est in causa, vt vocatio, quam habet, congrua non sit. Neque refert, quod sit, vel fuerit in hominis potestate recipere à Deo illam vocationem, quam præcognouit futuram esse congruam. Quia ex parte ipsius consensus, vel potius ex parte principij eius non erat illa simpliciter necessaria ad tale opus, vel consensum præstandum, poterat enim fieri per aliam vocationem simpliciter, & verè sufficientem. Si homo illa vt voluisset, sicut posset, sed illa necessitas est solum ex præscientia Dei qui præiudicat hominem de facto non bene vsurum illa vocatione, & illa necessitas quoad hanc partem est consequens liberum vsum, vel abusum in præscientia, & non est necessitas simpliciter, & antecedens, & ideo carentia talis vocationis non est contra libertatem quoad specificationem respectu talis effectus.

Atque hinc tandem est apertum discrimen inter necessitatem physicæ prædeterminationis, & congruæ vocationis. Nam physica prædeterminatio dicitur esse antecedens, ac per se, & natura sua necessaria ad omnem actum liberum voluntatis, & ideo si illa non datur, nec offertur à Deo, sed potius ex absoluto, & antecedenti Dei decreto omnino negatur actus simpliciter, & omnino fit impossibilis voluntas: nullo enim modo est in potestate eius. At vocatio, quæ de facto est congrua non est simpliciter necessaria, alia enim de se sufficeret, si homo illam non contemneret, sicut de vocatione Esau dixit Augustinus dicta q. 2. ad Simplician. vnde si quæ est illa necessitas non est antecedens sed consequens. Quod ex alia differentia declaratur, nam physica prædeterminatio si necessaria est, reuera requiritur ex parte principij, vt det, vel cõpleat posse, vt manifestis argumentis probatum est, etiam si assertores eius aliquando tergiversentur, ideoque qui talem prædeterminationem non recipit in se, absolute non habet potestatem integram & proximam, & quia illam non habet in sua potestate morali, ita vt facere possit aliquid ad obtinendam illam, neque potestatem remotam habet, ac subinde liberam quoad specificationem, nec illi potest imputari ad culpam carentia talis auxilij efficacia, & consequenter nec omisio effectus illius.

At verò vocatio congrua duo habet, nam & est vocatio, & est congrua. Quatenus vocatio est dat posse integrum, & completum tam morale, quam physicum, quia supponit vel principium physicum supernaturale, vel illud secum affert, vt declarauit capite. Quatenus vero congrua est, dat illud posse morale modo, vel in tali opportunitate, vt infallibiliter habeat effectum, & ideo dicitur sub hac ratione non solum dare posse, sed etiam agere, quia inducit infallibiliter ad agendum. Veruntamen intercedit differentia, quia sub priori ratione dat posse per se, & independentem ab vso liberi arbitrij, sub posteriore autem ratione dat agere cum ordine ad vsum liberi arbitrij à Deo præiudicatum ad quem illa congruitas dicitur habitudinem. Et hinc fit vt possit dari integra potestas, & consequenter etiam integra libertas, sine congruitate vocationis, quia potest præcedere vocatio, quæ det talem potestatem, & solum definat esse congruam ex defectu liberi arbitrij in cuius proxima potestate est bonus vsum talis vocationis, & quia cum illo auxilio gratiæ non facit, quod potest, ideo talis vocatio con-

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

gruitate caret, quam posset habere. Et hoc modo congruitas talis vocationis est in potestate hominis, licet non sit in eius potestate habere aliam vocationem, quam Deus præiudicauit futuram congruam, & nihilominus illam dare noluit quod non obstat libertati, & potestati per aliam vocationem comparata.

Dico secundò Efficacia gratiæ libertati arbitrij quoad exercitium actus non repugnat, sed media vocatione congrua optimè concordat. Assertio quoad priorem partem certa est de fide, modus autem huius concordie licet sit obscurus, à nobis tamen explicatur in hunc modum. Quia duo requiruntur ad gratiam, seu auxilium efficacæ præuium, vnum est vt inducat voluntatem in consensum, aliud vt infallibiliter consequatur effectum, primum habet vocationem congruam ex se, & ex natura sua, & hoc præcisè spectatum non repugnat libertati, quia cum vocatione sic considerata manet indifferentia voluntatis, ita vt posset cum illa vocatione coniungi carentia consensus, si nulla alia suppositio fiat. Secundum autem non habet illa vocatio ex se sola, sed vt habet habitudinem ad effectum futurum, & præuium à Deo, qui in sua præscientia falli non potest. Hinc ergo fit, vt illa efficacia vocationis optimè simul consistat cum libertate actus: quia quatenus illa vocatio spectatur, vt congrua, iam inuoluit vsum libertatis.

Et hæc ratio concordie maxime declaratur ex differentia inter infallibilitatem physicæ prædeterminationis, & vocationis congruæ. Nam prior est infallibilitas in causa determinata prius natura, quam efficiat actum secundum, id est, in auxilio de se efficaci, & prædeterminante voluntatem humanam, vnde repugnat indifferentiæ requiritæ, ad vsum libertatis, hæc vero posterior est infallibilitas effectus, vt futuri à sua causa proxima præuisa, vt liberè determinanda cum tali auxilio, vnde necessitas quæ sequitur ex priori infallibilitate, est necessitas omnino antecedens, quæ libertati repugnat. Altera vero est necessitas consequens, quæ optimè cum libertate consistit. Item prior infallibilitas, seu necessitas nullo modo pendet ex libera potestate voluntatis, quia nec habere illam prædeterminationem est in potestate libera voluntatis, sed solum in potestate receptiuâ respectu liberæ voluntatis Dei, & post receptam illam determinationem non est in potestate voluntatis suspendere, vel impedire actionem eius, at posteriori infallibilitas absolute pendet ex libero vso voluntatis, cuius præuisio supponitur in mente Dei per scientiam conditionatam, & inde infallibilis connexio talis vocationis cum consensu libero voluntatis.

Vnde ulterius in hoc modo efficacitatis vocationis congruæ non antecedit, vel tempore, vel natura determinatio voluntatis humanæ ad vnum in actu primo, sed semper intelligitur de se indifferens etiam posita illa vocatione, ita vt præcisè spectando talem vocationem, possit voluntas humana pro sua libertate illam facere non congruam, seu redde inefficacem. Atque ita prima determinatio est illa, quæ fit in actu secundo concurrente simul ipsa libera voluntate, solum ergo præcedit vocatio, vt habens habitudinem ad liberam determinationem voluntatis futuram infallibiliter in præscientia Dei, quæ habitudo non solum potest esse simul cum libertate, sed etiam vsum eius in suo termino inuoluit. At vero in altero modo efficacitatis per physicam prædeterminationem antecedit in humana voluntate determinatio ad vnum in actu primo, ad quam voluntas humana liberè non concurrit, & ab illa sic prædeterminata procedit postea actus secundus secundum ordinem causalitatis, & naturæ, quod male potest cum libero vsum

II.

Efficacia gratiæ libertati arbitrij quoad exercitium actus non repugnat, sed media vocatione congrua optimè concordat.

11.

Declaratur.

10. Vocatio congrua duo habet.

K k 2

vlu

usu circa eundem actum componi, quia talis effectus, ut provenit à tali causa proxima, in actu primo integrè constituta, non est contingens, sed necessarius, nec procedit indifferentia ad non agendum, sed cum necessitate absoluta, & ab extrinseco proveniente ad agendum. Ex comparatione ergo utriusque efficacitatis ita concludimus. Infallibilis connexio inter præveniens auxilium, & consensum voluntatis tantum esse potest, vel antecedens, & in causa, vel consequens, & in præscientia aliqua futuri eventus in se ipso, sed prior modus infallibilitatis non potest cum libertate actus concordari, ut multis modò ostensum est; ergo ideo cum illa concordat, quia non est infallibilis in causa per se spectata, sed ut habente habitudinem ad effectum infallibiliter in præscientia futurum. Ergo non potest aliter quam per vocationem congruam hæc concordia explicari, & cum illa optimè constat.

Contra hunc autem concordia modum multa nobis obijciuntur. Primum est quia procedit ex fundamento scientia conditionata, quod (ut quidam ait) omnes antiqui Doctores negant, & certum est (in eius utique sententia) talem præscientiam non dari. Et quamvis hoc non sit certum, saltem negari non potest, quin tale fundamentum sit dubium, ideoque videri debet insufficiens ad concordiam explicandam, quia de fide certum est, gratiam, & prædestinationem Dei non tollere libertatem, dogma autem fidei non debet in dubio principio fundari. Hæc vero obiectio facilè, & maiori efficacitate retorqueri potest contra physicam prædeterminationem. Nos enim sententiam quæ in illa constituit efficacitatem auxiliorum falsam esse censuimus, & ut credimus efficaciter probamus, & ex eo præcipuè illam impugnamus, quod talis modus prævenientis efficacitæ concordari non potest cum actu nobis libero quoad exercitium; neque necessitas eius potest cum libertate quoad speciem talis actus conciliari in eo, cui tale auxilium non datur. Ac denique etiam credimus, antiquos Doctores maiori ex parte tale genus prædeterminationis negasse, & alios plerisque illam non agnovisse, quod in sequentibus ostendimus. Et quamvis de hoc sit contentio, multo magis dubia est assertio talis prædeterminationis, quam scientia conditionata: nam (ut credimus) minori nititur auctoritate, & seclusis aliis testimoniis, vel rationibus in illa scientia nulla maior invenitur repugnantia, quam in absoluta scientia futurorum contingentium, & per se spectata decet Deum, & pertinetque ad perfectionem eius: in prædeterminatione autem invenitur repugnantia respectu libertatis, & non pertinet ad perfectionem Dei, sed potius præ se fert violentum quandam providentiæ modum. Incautè autem id nobis obijciunt, in quo ipsi maiori ratione redargui possunt.

Et nihilominus in forma respondemus ad priorem partem negando assumptum. Est enim illa sententia conformis scripturis, & antiquis Patribus, & omnino vera, quam multi ex adversariis iam negare non audent, licet in modo, seu fundamento illius à nobis discordent, ut physicæ prædeterminationi adhæreant, ex quo quantæ illis incommoda sequantur in secundo Prolegomeno ostendimus. Ad alteram partem dicimus dogma fidei non fundari in dubio fundamento quantum ad rationem credendi, sæpe autem explicari, & defendi per fundamentum minus certum quamvis probabilius. Sicut quod Spir. S. non sit filius, dogma fidei est, id autem à nobis explicatur, quia processio per voluntatem non est per modum similis, quod, sub opinione est. Ita ergo in præsentia licet concordia auxilij efficacis cum libertate sit dogma fidei, & de sci-

entia conditionata non sit tanta certitudo, nihilominus hanc viam ut saniorè, & magis accommodatam eligimus ad illud dogma fidei defendendum, & explicandum, quod ad munus Theologi pertinet.

Hinc verò obijciunt secundo, quia concordia hæc libertatis cum gratia, & Pelagianis visa est impossibile, & Augustino, & Patribus saltem valde obscura, & difficilis, si autem hæc concordia sumenda esset ex usu libertatis prævisio per scientiam conditionatam, res esset valde facilis, & perita, & ita nec hæretici habuissent occasionem exaggerandi repugnantiam gratiæ cum libertate, nec Augustino visa esset res adeo difficilis. Imò aliquando illam rationem esset aggressus ad hanc concordiam explicandam, quod tamen nunquam facit, sed semper in hoc negotio recurrit ad subiectionem intellectus in obsequium fidei, & recognitionem omnipotentia Dei, & iustitiæ, ac bonitatis eius, nihilque aliud respondendum putat, nisi quod Paulus homini dicenti. *Quid adhuc quaritur? voluntati eius resistit?* respondet. *O homo tu quis es, qui resistes Deo, id altitudo distans, & non est iniquitas apud Deum.* Ergo signum est hunc modum concordia quæ nos assignamus non esse verum, neque principii fidei consentaneum.

Tres partes habet obiectio. Prima spectat ad rem ipsam, & in hoc fundatur, quod hæc ratio concordia est nimis facilis, cum tamen ipsa concordia semper visa sit obscurissima, præsertim Augustino epistola 46. in fine & 47. in principio, & in lib. de grat. & lib. Arbitr. in principio. Respondemus hunc modum concordia comparatum quidem ad obscuritatem, & perplexitatem, quæ posita physica prædeterminatione in tali concordia invenitur, esse faciliorem, & clarum, nihilominus tamen absolute quando esse valde supernaturalem, & multa includere quæ ab homine non comprehenduntur, licet utcumque concipiantur. Nam in primis scientia illa de futura libera determinatione voluntatis ex tali, vel tali hypothese nimis est obscura, & difficilis, necessariumque est fidei adiutorium, ut ea credatur, quia divina excellentia, & testimonij scripturarum est magis consentanea. Vnde cū hæc concordia illa sententiam supponat, eo ipso difficilis est, & obscura. Deinde illa posita superest illa difficultas quæ Philosophos errare fecit, quomodo cū tali præsentia stet contingentia, quam novi quidam Theologi audenter dicentes hanc scientiam esse causam functionis effectus per eam cogniti. Imò etiam in ipso Deo non caret difficultate ad explicandum quomodo cum tali præscientia liberè operetur, ut in proprio opere de illa scientia attingimus. Ad hæc etiam si scientia ipsa non tollat libertatem, adhuc obscurum est, quomodo gratia proveniens ex absoluto decreto Dei, etiam si illam scientiam supponat, libertatem non impediatur, cū absolute voluntati Dei nemo possit resistere. Ac denique in executione factis obscurum ac difficile est ad intelligendum quomodo voluntas divina & humanita in effectione eiusdem actionis conveniunt, ut neutra alteram ordine casualitatis, aut prædeterminationis antecedit, quæ difficultas non tollitur per scientiam conditionatam. Nam in illa met scientia necessarium erit, ut saltem sub conditione illa, quæ in tali scientia supponitur, proponantur illæ duæ voluntatis ut coniunctæ, & quali præparatæ ad efficiendam eandem actionem omnino simul natura sine prævia efficacitæ, vel prædeterminatione unus in aliam. Hæc ergo concordia quam assignamus non potest propter claritatem, vel facilitatem contemni, cum difficultatibus careat. Debet autem aliis præferri, quia in his difficultatibus nulla est, quæ vel repugnantiam aliquam cum aliquo dogmate fidei, vel contradictionem in rebus ipsis ita præ se ferat, ut non sufficiat, imò & evidens.

evidenter solvatur, saltem negativè, ut aiunt, id est ita solvendo argumenta, ut evidens sit non concludere. In alia vero ratione concordie, quæ physicam prædeterminationem supponit multa includuntur, quæ ita apparent, & inter se, & cum dogmatibus fidei pugnantia, ut nobis non videantur sufficienter ne dum evidenter dissolvi.

Secunda pars obiectionis erat de modo argumentandi Pelagianorum contra August. arguebant enim illum, quod introduceret factum nomine gratiæ efficacis, seu vocationis ex proposito, quod nullo colore dicerent, si concordiam libertatis cum tali gratia ad scientiam illam mediam reuocaret. Unde tertia pars illius obiectionis est, quod Augustinus nunquam usus est tali scientia ad hanc concordiam explicandam. Verumtamen quod ad Augustinum attinet in Prolegom. 2. ostendimus, illum, & scientiam mediam agnovisse in Deo, & ad nonnulla mysteria explicanda illa usum fuisse: quomodo verò illam semper cum prædeterminatione, & congrua vocatione coniunxerit, infra in speciali capite declarabimus. De Pelagianis verò siue illam scientiam ignoraverint, siue illam cognoverint, parum nostra refert, nam in hoc valde errabant, quod necessitatem auxilij gratiæ etiam adiuvantis, si multantei seu generalis concursus putabant repugnare libertati. Vnde in obiecto scientiæ mediæ (sic eam agnoverunt) non admitterent posse includi auxilium gratiæ, ut ex hypothesi præsciretur, quid esset voluntas cum illo subsidio liberè operatura, quia credebant illà hypothesim destruerè libertatem. Et ideo cogitare non potuerunt per scientiam hanc posse efficaciam gratiæ cum libertate conciliari. De Semi-pelagianis certius est, illam scientiā tribuisse Deo, male tamen illa usi sunt, non ad conciliandam libertatē cum vera gratia, sed ad defendendum bonum usum solius libertatis sine adiutorio gratiæ, & consequenter ad distribuendā veram rationem gratiæ, ponendo meritum gratiæ in merito solius liberi arbitrij, & tribuendo rationem meriti, vel demeriti operibus nunquam futuris. Et hoc putarunt necessarium esse ad concordandam libertatem cum gratia, & ad salvandam in Deo generalem voluntatem salvandi omnes homines, ut constat ex Epistola Prosperi. Et quia D. Augustinus talem concordiam non admittebat, imo validissimè impugnabat, dicebant illum introducere factum, & similia.

CAPVT XXIX.

Aliis obiectionibus contra superiorem concordiam ab incommotis desumptis satisfi.

ULtra superius dicta præcipue nobis obicitur, quod iuxta illam rationem concordie, multa videntur consequenter concedenda, quæ in Semi-pelagianis, vel etiam Pelagianis sunt damnata aut certe ad illa nimium videntur accedere. Primum est quia sequitur, auxilium efficax recipere efficaciam à libero arbitrio, & consequenter id, quod est potissimum in tali auxilio esse à nobis, & non ex Deo, quod dici non potest. Sequela patet quia iuxta nostram sententiam auxilium in re non est efficax, nisi per liberam determinationem voluntatis humanæ & ipsa vocatio non denominatur efficax, nisi per habitudinem ad illam determinationem, & quasi per determinationē ab illa. Secundum est, quia sequitur, rationem ob quam auxilium nobis datū est efficax, esse voluntatem nostram bene ventem suam libertate. Consequens est falsum ergo. Sequela patet

Ex Suarez de Gratia Pars 11.

ex præcedenti propositione, quia nostrum arbitrium est, quod suo bono usu dat efficaciam auxilio, ergo est ratio ob quam est efficax. Falsitas autem consequentis probatur, quia sic homo fidelis discerneret se à non fidei per suum arbitrium contra Paulum 1. Cor. 4. Tertium est posse hominem resistere auxilio efficaci, quia potest facere, ut non sit efficax, quando quidem hoc pendet ex sua libertate. Consequens autem est falsum, quia auxilium efficax procedit ex proposito Dei ab soluto, cui nemo potest resistere, & est medium efficax ad illius propositi executionē sed voluntati Dei efficaci nemo potest resistere, videtur Elther. 13. Ergo neque efficaci auxilio. Vnde argumentor in hunc modum, quia vocationi congruè resisti potest, vel non potest. Si potest illi resisti, non est auxilium efficax, si non potest ei resisti, non minus repugnat libertati, quam prædeterminationatio physica, & difficultates omnes de illa propositæ hic locum habent. Quartum inconueniens est, quia sequitur auxilium efficax non addere supra auxilium sufficiens aliquod auxilium præuenientis gratiæ, sed solam cooperationem voluntatis cum auxilio simultaneo. Ex quo ulterius fit, auxilium efficax non distingui à sufficiente, nisi in actuali effectione, & in auxilio simultaneo, ac proinde non esse efficax, quia facit hominem consentire, sed quia illo cooperante facit cum illo consensum, quæ omnia sunt à nobis in cap. 1. præcedentis libri reprobata. Quintum est, quia sequitur conversionem hominis non resolui ultimā in solam diuinam voluntatē, sed etiam in humanam, ac subinde ex duobus vocatis ad fidem, quod virtus credat, & alter non credat, non esse tribuendum soli diuinæ voluntati, sed maxime humanæ. nam iste non credit, quia non vult, ille autem credit, quia vult. Et licet sit differentia, quod ille solo suo arbitrio non vult, iste autem non solo arbitrio, sed adiuuante simul gratia vult, nihilominus propria, & innata libertas est in suo genere non solum proxima, sed etiam vltima ratio, in quam discretio illa resoluitur. Quod si verum esset, cessaret admiratio Augustini, cur hunc trahat, & illum non trahat, & c. non facilis est ratio scilicet, quia hic vult, & ille non vult, quod neque Augustino, neque modo loquendi scripturæ consentaneum est. Et similia multa possunt obijci, & inferri, quæ videntur contraria vel scripturis, vel Conciliis, vel Augustino, & ideo de his testimoniis tractando in sequentibus capitulis alias obiectiones commodius proponemus.

Ad propositas verò obiectiones respondemus, nihil posse ex nostra sententia sequi, quod errorem Pelagij, & Malsilientium reodeat, cum ab utroque errore longissimè discrepet, imò utique directè opponatur. Quod facile intelliget, qui attente consideraverit, quæ de illis erroribus in Prolegom. 4. fideliter, ac diligenter tradidimus, & quæ in his quinque libris de necessitate auxiliorum gratiæ, tam excitantis quā adiuuantis, ad inchoanda, perficienda, & consummandā pietatis opera docuimus. Ad primum ergo inconueniens negatur sequela. Vocatio enim congrua, sicut non habet sūm esse, vel suam perfectionem à libero arbitrio, ita neque ab illo potest efficaciam suam habere, sed vel efficienter habet illam à Deo, vel formaliter à sua perfectione quæ intrinsecè est talis virtus agendi. Neque obstat quod tale auxilium non sit effecturum, nisi cum illo sit concursus simul voluntas humana se liberè determinans: nam hinc solum fit tale auxilium non exercere actū suam efficaciam sine libero arbitrio concitante cum illo, inde vero non fit, quod auxilium ab altera causa habeat suam efficaciam, sed solum quod eam non exerceat sine illa. Sicut habitus charitatis non elicit actum sine voluntate se determinante, & tamen non recipit efficaciam

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Respondetur ad obiectiones.

Ad primum inconueniens negatur sequela.

Kk 3

à vñ